



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Mare esse vitæ imaginem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

crimen euadant, Deo faciunt. Et alij quidem peregrinationum, ad hunc vel illum Diuum, alij autem ieiuniorum, certis diebus, tolerandorum; alij elemosynarum in egenos erogandarum; alij aedificandorum templorum; alij perpetuae castitatis; alij etiam religionis ingrediendae. Ob hos tales effectus, an non viles censendae sint maris tempestates? Multorum contumaciam fregit naufragij metus. 4. Multos merfit mare, sed nocentes. 5. Quod si & innocentes talibus procellis inuoluuntur, compendium mortis habent & doloris. Minor est cruciatus vndis absumi, quam flammis. 6. Quem non curiositas nauibus auheret in insulas Fortunatas, aliasque nouas terras; quem non cupiditas habendi alliceret, si nauigantes non periclitarentur? 7. Quae gloria fuisset Danao Beli filio, qui nauem primus ex Aegypto in Graeciam aduexit? quae Iasoni & Argonautis? quae Christophoro Columbo, si nauigatio periculis careret? Maxima virtutis laus est, discrimina non horruisse: & superasse, quod fuit cum periculo laboriosum.

## IV.

Denique mihi & illa non postrema causa videtur, ut habeamus in mari, veram & expressam, quamdam humanae vitae imaginem. Aptissime enim pericula periculis explicantur: & quidem summa summis. *Qui nauigant mare, enarrent pericula eius: & audientes auribus nostris, admirabimur, cognoscemusque prorsus, in nostra vita, similes scopulos, & fluctus, & pericula occurrere.* Quae etiam de causa, recte Clemens Alexandrinus, ubi vetat, gemmis annulorum, idolorum imagines insculpi, suadet nauim vel anchoram imprimi, nauigationis utiq; & vitae humanae monumentum. *Sint autem nobis, ait, signacula, columba, vel piscis, vel nauis, quae celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica, quae usus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus.* Quoties piscem, quoties nauem, quoties anchoram inspicimus, illico in memoriam venit, homines in terris, non secus ac pisces nauesque in vndis natant, aut nauigare; vitamque nostram aquae similem esse, quae est res fluxa, ventis & tempestatibus obnoxia. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quae non reuertuntur,* ait mulier Thecuitis. De periculis, & aduersis ventis, & mille incommodis maris, & vitae inter se comparatis, complures meminerunt.

Eccli. 43. 26.

Clemens  
Alex. lib. 3.  
Pædag.

2. Reg. 14. 14.

## V.

Bellissime autem S. Augustinus hominis, per hunc mundum, velat